

Johann Festing

Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, I. U. D. & Antecessor ... De Firmissimo in adversis solatio, Interno Spiritus Sancti Testimonio, Veritatis fideique fulcro, ardentissimis votis expetendo Omnes ac singulos Cives Academicos, ea, qua par est, pietate admonet [P.P. Sub Sigillo Rectoratus, ipso Pentecostes die, Anno MDCLXXXIX.]

Rostochi[i]: Weplingius, [1689]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742498271>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1689. Pfingsten.


~~A-1256. 58.~~

H. 1689.

994.

PROGRAMMA,
 quo
 RECTOR
 UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
 JOHANNES FESTIN-
 GIUS.

J. U. D. & Antecessor, Serenissimi Ducis
 Sverino-Megapolensis Confiliarius
 Consistorii Adfessor



De

Firmissimo in adversis solatio,
 INTERNO SPIRI-
 TUS SANCTI TE-
 STIMONIO.

Veritatis fideique fulcro, ardentis-
 simis votis expetendo

*Omnes ac singulos Cives Academicos, ea, qua
 par est, pietate admonet.*

—————
 Rostochi Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.

M-1256⁵⁶



Vam afflictā hominum sit natura, quot ærumnā quanta incommoda immineant, non poterit latere quempiam, cum in semet proximisq; cotidiana hauriat infelicitatum experimenta. Enimverò habet corpus sua pericula, morborumque toties arcana multiplicantur, ut dignoscere, supra artem sit, & herbarum virtus evanescat, languente corpore, cui non invenerat remedium experientia. Eheu! quantus hinc plerumq; metus oritur, quanto dolor mentem turbat & anxiam reddit

præsentī ex periculo, ubi spes, quæcumq; fuerit, tam incerta est! Sed quis nescit exuperans malum, si ab ipsa mente ægritudinem sibi capiant corporis membra, ubi violenta aliquando redundantis præcipitiq; mali cogitatio cor trepidum reddit, in se volvitur revolviturq;, idq; dum cavere studet, in eo, dum studet, sæpius repetit. Scilicet ea vis est animi, ut in suā ægritudine ipsum possit fatigare corpus & imagines mali per meatus artuum porrigere. Aded istius hominis malum est, ut quia ex metu periculum novit, ex metu sibi metum colligat; itaq; eo ipso dum fugere cupit, capitur. Hinc verò laborent licet Medici experientissimi, frustra (nisi fallor) laborabunt, nisi animis salutarī tranquillitatis medicina prospectum fuerit. quandoquidem qui animorum morbi ex metu oriuntur tunc demum nequeunt recrudescere, ubi mortis truculentæ desunt visiones cogitationesq;. Id enim quod in causa esse non sine causa videtur, si cessaverit, cessabit funestus etiam effectus. Equidem non videtur rumpi posse vinculum corporis humani animæq; sine doloribus, cum pars vergit in interitum, quem naturali motu anima tristis cogitat, unde mortem etiam *malorum maximum* putabant ethnici. Non dicam quomodo magna spirantibus mors odiosa fortunatisq; molesta sit: saltem dura nimis videtur, ubi liberorum causa metum futuri ultra mortem mali auget inq; aliis sibi legit tam acerba tantaque miseriarum exempla. Durum est, quod inter homines tamen comprobatum esse indices experimur: *Nullus hominum fidus est amicus rumulo*. Quis igitur non eorum misereatur (utor quodammodo verbis doctissimi Arumæi) quibus novisse parentes datum non est, & tri-

tristem simulac nascuntur lucem aspiciunt, imò cum parentibus timul luctuosa sæpenuerò coguntur carere hereditate? Tristissima poterat videri moriendi ratio, ubi incerta educationis spes, nulla favoris fiducia, plenusq; metus duraturi in liberorum animis & transmigraturi (ut ita loquar) doloris nostri. Quænam sine lacrymis pia mater cogitabit verba:

Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis

incerto dictas ore puella tuli.

Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,

Nec gremio sedi sarcina grata tuo.

Non cultus tibi cura mei: nec pacta marito

Intravi thalamos, matre parante, novos.

Quis sine planctu uxorem derelinquet non invitam periculo spiritus sui empturam, ut extremos viri spiritus excipiat? Et quid dicam, si discedentes parvuli, flebili ululatu amplexi patrem teneant, si ex altera parte uxor maritum non amplius visura osculis fatiget? Certè nec minus ægri hujusmodi lacrymæ miserabiles erunt. Flere hos morientem patrem; illum miseros liberos; hos discessu suo mortem patris; illum in spem sui gaudii susceptos relinqui in egestate aut sine solatio lugere, quis casum negaverit extremâ miseratione omni dignissimum? At speculemur vitæ nostræ adversitates ceteras, quæ hanc vitalem lucem, quam tantopere natura appetit, fugere tamen aliquando jubent & expectere mortis tenebras. Certè humanæ sortis magnam esse vicissitudinem experimur quotidie: quippe lapsa cernimus erigi, erecta prosterne; nec in ipsis resuscitatis gaudiis diuturnitas est. Triumphat hodie, quem futura tempora carceri destinant & ludibrio; vix elevantur pedes, chorisq; junguntur juvenes, ubi infortuniorum falces faciunt dolores, gemitus, lacrymas. Eheu! non diuturnum est quod lætum! Solent homines elato animo contemplari suam felicitatem, cujus progerminantem segetem uberi plenitudine sibi colligendam sperant, etenim præsentia læta videre sola discipit humana mens, eaque in pectore gestat; & ad tergum rejicit, quæ lævo metu placidam tranquillitatem turbare poterant. Ignorare cupiunt, quæ angunt: etenim tristari, in infelicitate ponitur, quam avertimus, quousque possumus. adeò ipsam quoq; mali suspicionem metuunt homines, & ut lateat, valde expetunt. credunt; ne contrarium per rationem cognoscant. Attamen quid juvat sereno cœlo confide-

re, cui in ipsa serenitate auctor pulcritudinis Sol inducit nebulas, tem-
pestates, tonitrua? Nisi bene tibi prospexeris, madidus eris. Quin
tristis poterat esse sapienti lætitia, si modò ei fiat sub appenso leviter
gladio; qualiter tamen omnis nobis cedit felicitas. Non diuturnum
est quod lætum; quandoquidem precario planè possidemus omnia quæ
possidemus, & liberrimè nobis auferuntur quæ ad termini destinati
usum data non sunt. Albedo nostra est felicitas, cui obductoriam ni-
gredinem paratam statuit fors adversa: hanc guttulæ quævis turpant.
Sanè optima philosophandi ratio est, si habeamus altè insitam menti
præceptionem, ne in prosperis efferamur nimium neve in adversis pror-
tus despondeamus animum. Bene tibi, si modestè tuis utaris bonis!
quippe solet contemptus comitari infelicem, qui superbix femina antè
sparserat, cum excipit infortuniorum messis: tum verò proli-
dam vicissitudinem! quis nescit ægrius amitti quod sibi habere
soli semper & securè, mens discupit; ne dicam quod inopinatum om-
ne magnum magis animum afficiat, turbet, lædat, destruat. Infelici-
or certè qui expertus gaudia amittit, quàm qui nunquàm gustaverat;
sed infelicissimus, qui de perpetuitate in sinu gavilius erat. Dulcedinis sæ-
pe repetitur appetitus, isq; eò acrior, quò constanter magis illa amata
fuerat. Igitur quò pleniora fuerunt gaudia, eò tristior sequitur vicissitudi-
nis catastrophe; nec magis tragædiarum clamor (quod ait Boëthius) aliud
desfet nisi indiscreto & inopinato icu fortunam felicia vertentem. Ipsum
malum angit; sed si memoria blandientis fortunæ revolvit gaudia, iis velut
testimoniis miseriam probat augetq;. Miserandum etenim spectaculum est
subridentis oris lætitiã in ejulatus, plaudentia verba in singultus con-
vertere, genas, quas modò rosæ exornabant, radere, pectus quod gaudiis
diffuebat concutere, oculos scintillantes nubibus obducere, imbres la-
crymarum fundere, tripudiantes pedes figere, toto corpore languere &
tabescere. Certè in hoste etiam victores fuerunt miserati tan-
tam infelicitatem subitanam; quã ratione nec nos præterit Paul-
lum Persi Regis à se capti calamitatibus pias impendisse lacry-
mas. Adeò omne malum quod nascitur ex insperato, nimis grave
nascitur; quod autem expectatur antequàm accidat, postquàm acciderit,
levius invenitur. Pectus etiam fortissimum insperatus fragor concitat,
nec potest illud tunc quiescere, cum munitum non fuerit adversus mo-
tum qui naturalis est. Equidem Stoicorum schola remedium sibi po-
nere visa est saluberrimum in hoc; *Sustine & abstine.* quandoquidem
terdu-

Superbiam & abusum rei prosperæ (fateor) poterat quodammodo coër-
cere hæc Philosophia, quæ abstrahere jubet animum ab his quæ extra
nostram potestatem sunt. Sed quousq; præparat animum incertitu-
do boni, aut quodnam præbet illa solatium, ubi id quod negligendum
non erat abit, ubi opes amittunt homines dura egestate pressi, ubi va-
letudinis jacturam faciunt morbis ac doloribus affecti, ubi carceris squa-
lore & ignominia pereunt qui de dignitatum culmine dejecti? Aded
hominis infelicis querela est:

Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta

De nive manantis more liquefcit aqua.

Estur ut occulta vitata teredine navis:

Æquorei scopulos ut cavat unda salis:

Roditur ut scabra positum rubigine ferrum:

Conditus ut vinea carpitur ore liber:

Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,

Fine quibus nullo conficiantur, habent.

Discrimen omne inter læta & tristia remove viri sapientes tanto studu-
erunt molimine: Sed quo eventu: olim quæsi & hodiernum quæro?
Patientiam in adversis ægrè induere potuerunt; sed abjicere sentum om-
nem, nunquam. Nec falsus est qui alicubi dixit: *Nepbritidis paroxisum*
sine gemitu non pertulerunt Stoici, qui tamen affectus omnes strenuè da-
mnantes in medio Phalaridis tauro ridere jubent. Attamen elegantia
verba sunt & perquam bona; imò solatii non minima pars inesse iis po-
terat, dum Seneca inter ethnicos prudenter dixit: *Cum videris bonos*
viros acceptosq; diis laborare, sudare, per arduum ascendere, malos au-
tem lascivire & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestia dele-
ctari, vernularum licentia; illos disciplinâ tristiori contineri, horum ali-
audaciam. Item: *Quis autem vir, modo est erectus ad honesta, non est la-*
boris appetens justus, & ad officia cum periculo promptus? cui non industri-
oso otium pena est? Amplius: Miraris tu, si Deus ille bonorum amantiſſi-
mus, qui illos quam optimos esse atq; excellentissimos vult, fortunam illis
cum quâ exerceantur, assignat? Ego verò non miror si quando dii im-
petum capiunt spectandi magnos viros, colluctantes cum aliqua calamita-
tate, imò: Quare Deus optimum quemque, inquit, aut malâ valitudine,
aut aliis incommodis afficit? Quare in castris quoq; periculosa fortissimis
imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur
inſidiis

*insidiis, aut explorent iter, aut praesidium loco dejiciant. Nemo eorum
qui exeunt, dicit, MALE DE ME IMPERATOR MERUIT: sed, BENE
JUDICAVIT. Idem dicant quicumque jubentur pati, timidus ignavisque
febilis: DIGNI VISI SUMUS DEO, IN QUIBUS EXPERIRETUR,
QUANTUM HUMANA NATURA POSSET PATI. Fugite delicias.
fugite enervatam felicitatem, quam animi permadescunt, nisi aliquid in-
tervenit, quod humana sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti.
Propè Stoicos solos esse Philosophos dixerim alienos ab illo grege Phi-
losophantium canibus similibus (quod ait Plutarchus) qui laniare & vel-
licare avidi, soli Logicae adhaerescunt, ut pelli, & in eam rixantur, & mentem
ad ulteriora non mittunt. Et parum abest quin sicut Abrahamus Berkelius
de suo exclamavit Epicteto, de nostro etiã exclamem Seneca, *ô sancte Se-
neca! nam in ipsa cecitate mel christianum tua verba aliquando redolent.*
Verum enim vero ô inanem tantam in tranquillitate & beatitudine Stoicorum
Philosophiam! dum sancto veritatis lumine destituta erat. *Dolorem non
malum; Sanitatem non bonum: Sapientem divitem, Regem, Deo pa-
rem esse:* facile animus cogitabat dum malis non affectus erat, dum opes
& honores ultrò sequebantur. Imò licet morte obsignata videretur sapi-
entis viri constantia, non tamen læta unquam mente nec pleno cum sola-
tio eam subisse putandus est, qui post mortem posse vitam esse aliam qui-
dem non discessurus erat, sed futuram certò esse, sine lumine scripturae sacrae
profiteri non poterat. Ad eò aniles fabulas astruere videbantur Christiani
Gentilibus, cum renasci se ferrent post mortem & cineres & favillas. Unde
irrisionibus cachinnisque excipiebatur veritas, parcereque in verba isthac
tam absurda auribus pereuntium tamque immania mentiendo jubeban-
tur, qui tantam nixi certitudine profitebantur illud quod solatii in adversis
fundamentum potissimum est. Anceps malum dicitur ap: Minucium
Felicem & gemina dementia, caelo & astris, quae sic relinquimus, ut inve-
nimus, interitum denuntiare: sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur,
& interimus, aeternitatem repromittere. Et sanè siquidem de extremo
gentilium quaeritur solatio; quodnam aliud erat quam dura necessitas,
quam aeterna omnia fieri, ipsum Deum alligari, bonisque mala evenire facta
inter eos optima sentiebat? Sit ita: imperterritus unus cruciatus susti-
nuit, nec questus est: quis a, nescit quòd non læta voluntas, sed tua, teter-
rissima necessitas, truculenta manus silentium impresserit, quòd brevitatis
fiducia patientiam auxerit, quòd metuere malum ultra mortem necesse
non*

non habuerit moriturus? *Egregia planè fortitudinis est, quod dicitur alicubi, mortem contemnere; fortius tamen facit is, qui vivere audeat, quoties vita sit morte terribilior: cuius rei præclarum nobis exemplum religio præbet: nec enim ad unum illud Jobi comparanda sunt, quæcumq; de Curcio, Scævola & Codro decantari solent. Certè levis esse mortis cruciatus præ morborum carnificina arbitror, aditumq; ad mortem morte ipsa longè acerbiorem judico.* Inter Christianos quidem firmissimum poterat esse omnibus in adversitatibus solatium, dum ipse ille qui veritas est solatur: nimirum, quòd omnia, quæcumq; mala fuerint, bene tamen iis cedere debeant qui DEum timent; imò quod nunquam derelicturus sit is, qui omnipotens est, quos ipsi commendavit sancta parentum pietas. Et sanè quamnam non sedari oportebat anxietatem hominis tantæ requies spe & fiducia, quam per Salvatorem separata mox habebit anima? Nedicam quod nostrum sit, meminisse quamnam lex hujus vitæ, quæ non habet nisi peccata hominum, unde aliter statuendum non erat, nisi lætari in incertitudine & præmia expectare non diu duratura: certè aliquando mala eveniunt, ut contemnamus hanc vitam, quæ vix dum vita est, sed genitura, ut posthac veram habeamus vitam. Heu! lætissima meditatio, si capiat humana mens. Sed Christianorum nomen & doctrina trequens est; at ubi vera invenienda fides sit, non facile liquet: imò annon sola sit plerisque historica, uniuscujusque conscientia revolvit. Profectò laborat ipsa in se sapientia, nisi Spiritus S. gratia fidem gignat. Hic Spiritus rectus, dulcis, Spiritus veritatis, sapientiæ, pietatis, consilii, lumen & afflatus Dei in mentibus refulgens: hic arrhabe nostræ fiduciæ, hic digitus DEI, hic vivificus, lux & lucis largitor, bonitas ipsa & fons bonitatis, Dominus mittens, segregrans, templum sibi extruens, viam præmonstrans, arbitratu suo operans, gratiasque dividens. Quælo, ecquodnam poterit salutis ac solatii fundamentum esse nisi hoc in sacris inveniatur literis? Hæc autem quæ non incertitudine humani saltem redundantis scrupuli per diabolicas tentationes, laborare possunt nisi obsignaverit veritatem internum Spiritus S. testimonium? Hoc testimonium firmissimum est spiritui nostro, nos filios Dei esse: hoc sanctissimum sigillum est, quod occludit omnem dubiorum abyssum, quodque in cordibus nostris futuræ hereditatis certitudinem stabilit, confirmat & obsignat. Hinc virtus Christianorum, ubi non unus, sed tot myriades; non tædio affecti vitæ, aut

tæ, aut afflicti malis, sed inter bona mundi; non brevi supplicio, sed cruce, igne, ubi, quemadmodum ait Augustinus, cruciati diu vivere permisi sunt, imò non diu vivere permisi sunt, sed earum de mori compulsi sunt, lætè moriebantur, & magnalia Dei prædicabant, fidemque profitebantur constantissimã. O firmissimum auxilium, quod in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram! O dulcissimum solatium! quod in cordibus, ut ait Bernhardus, spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei sed etiam tribulationis gloriantur, contumelia gloriam reportantes. Hic spiritus fortis & omnipotens; quidni fortes reddet animos fidelium? Hic Paracletus optimus infirmã roborans, aspera planans, corda purificans: quicquid in hoc seculo nequam videtur, difficile & angustum, leve facit, & hic illatum opprobrium gaudium iudicat, despectionem exaltationem esse persuadet. Hic demum ubi solatio descenderit, conspici in acie juvat, victoriamque divina, quæ in animis virtus oritur, pollicetur certissimam. Non adversitates metuit pia mens, quæ verbû legit auditque Sancti Spiritus, eoque ipso dum legit ipsius regitur favore & potentia, ornaturque; cœlitus aura Numinis & calescit motu sanctissimo. Agite ô boni, ô cives Academiae lectissimi! attendite sublimitatem hujus Festi, in quo hodie *apparentis in linguis igne fulgentibus Spiritus S.* religiosam venerationem meditatatur Ecclesia! Vertite corda sursum, unde pluviam benignam effundit Dominus super hereditatem suam, & labore confectam recreat. Promissus hic nobis Spiritus est, Spiritus consolationis & adoptionis, per quem clamamus: Abba Pater! Præparemus ei in cordibus nostris domicilium, quod ab omnibus pravis cupiditatibus, odio & inimicitis, gulæque; & corporis deliciis vacuum sit: acceptem hocce bonum obviis animis: rogemus ardentissimis votis, ut servetur nobis tantus honor, quo templum Sancti Spiritus sumus, & Dei Patris & Filii habitatio efficiamur. O veni,

Veni Sancte Spiritus
 Et emitte cœlitus
 Lucis tuæ radium,
 Veni pater pauperum,
 Veni dator munerum,
 Veni lumen cordium,
 Consolator optime,
 Dulcis hospes anima,
 Dulce refrigerium,
 In labore requies,

In aestu temperies,
 In fletu solatium.
 O lux beatissima,
 Reple cordis intima,
 Tuorum fidelium.
 Sine tuo numine
 Nihil est in homine,
 Nihil est innocuum.
 Lava quod est sordidum,
 Riga quod est aridum,

Sana quod est saucium.
 Flecte quod est rigidum,
 Fove quod est frigidum,
 Rege quod est devium.
 Da tuis fidelibus
 In te consentibus
 Sacrum septenarium,
 Da virtutis meritum,
 Da salutis exitum,
 Da perenne gaudium!

P.P. Sub Sigillo Rectoratus, iplo Pentecostes die, Anno M DC LXXXIX.

36 (O) 30



Superbiam & abusum rei prosperæ (fateor) poterat quod
cere hæc Philosophia, quæ abstrahere jubet animum a
nostram potestatem sunt. Sed quousq; præparat ani
do boni, aut quodnam præbet illa solatium, ubi id quod
non erat abit, ubi opes amittunt homines dura egestate
letudinis jacturam faciunt morbis ac doloribus affecti, ul
lore & ignominia pereunt qui de dignitatum culmine
hominis infelicis querela est:

Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta

De nive manantis more liquescit aqua

Estur ut occulta vitata teredine navis:

Æquorei scopulos ut cavat unda salia:

Roditur ut scabra positum rubigine ferrum

Conditus ut unca carpitur ore liber:

Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,

Fine quibus nullo conficiantur, habent.

Discrimen omne inter læta & tristia remove viri sapien
erunt molimine: Sed quo eventu: olim quæsi & hoc
Patientiam in adversis agrè induere potuerunt; sed abji
mnem, nunquam. Nec falsus est qui alicubi dixit: *Nephibe*
sine gemitu non periculerunt Stoici, qui tamen affectus om
mnantes in medio Phalaridis tauro videre jubent. Att
verba sunt & perquam bona; imò solatii non minima p
terat, dum Seneca inter ethnicos prudenter dixit: *Cum*
viros acceptosq; diu laborare, sudare, per arduum ascen
tem lascivire & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos
clari, vernularum licentia; illos disciplinâ tristiori contra
audaciam. Item: *Quis autem vir, modo est erectus ad hon*
oris appetens justus, ad officia cum periculo promptus? cu
oso otium pena est? Amplius: Miraris tu, si Deus ille bonor
um, qui illos quam optimos esse atq; excellentissimos vult,
cum quâ exerceantur, assignat? Ego verò non miror si
perum capiunt spectandi magnos viros, colluctantes cum
rate. imò: Quare Deus optimum quemque, inquit, aut m
aut aliis incommodis afficit? Quare in castris quoq; pericu
imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nonURNis hostes

)3

